



**R. P. Fr. Ioannis Poncii, Corcagia-Hiberni, Ordinis Ff.
Minorvm, Sacræ Theologiæ Lectoris Ivbilati, Olim in
Collegio Romano S. Isidori Primarij Professoris;
Philosophiæ Ad Mentem Scoti Cvrsvs Integer**

Poncius, Joannes

Lugduni, 1659

9. Vtrum sensibile commune imprimat speciem propriam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95688](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95688)

qua constat quod eo ablato, habeant etiam species; tamen id non est dicendum de speciebus internis, de quibus non habetur similis experientia.

Confirmatur: quia species intelligibiles impressæ dependent in fieri à phantasmatibus, & non dependent ab illis in conferuari, ut tenetur communiter: ergo idem dici potest de speciebus internis phantasticis.

Obijci quæritur, sentatio pedis est nimis remota à potentia interna: ergo nequit speciem in illa producere.

Hæc etiam obijciuntur æquè probat quod potentia externa cum sensatione, & obiecto etiam, nequeat producere speciem internam. Sed

Respondetur distinguendo consequens: non potest immediate, transeat; mediate, nego. Itaque producit illa sentatio speciem in spiritu vitali, aut aliquo alio sibi applicato, & ita successivè donec perveniatur ad potentiam internam.

Ex hac conclusione sequitur species internas posse esse perfectiores speciebus externis impressis, non vero speciebus externis expressis, hoc est, sensationibus.

QVÆSTIO IX.

Utrum sensibile commune imprimat speciem propriam.

87. *S*uppono dari sensibilia communia, quæ scilicet percipiuntur à pluribus sensibus externis, ut motum, quietem, numerum, figuram, & magnitudinem. Et hoc non solum propter autoritatem Philosophi, & communis sententia, sed etiam quia experientia constat eas à nobis concipi absque discursu: non possent autem concipi nisi perciperentur à sensibus externis, nihil enim præteritum positiuum, concipere potest intellectus noster, nisi quod concipitur à sensu interno, aut mediante discursu; nec aliquid potest concipi à sensu interno, nisi quod percipitur à sensu externo, nisi habeat aliquem discursum imperfectum saltem: certum autem est, quod non concipiat hæc sensibilia mediante illo discursu, sed propter diversam immutationem quam percipit in sensu externo.

Prima sententia est hæc sensibilia communia non imprimere species proprias, sed ea percipi per species proprias sensibilium propriarum, modificatas tamen tali, vel tali modo. Hanc tenet D. Thom. 1. part. q. 78. art. 3. & Thomistæ ac recentiores communiter, quos citant & sequuntur Complutenses dist. 9. n. 24.

Secunda sententia est, sensibilia communia imprimere species proprias, sed subordinatas tamen sensibilibus propriis, taliter ut non possint imprimere illas, nisi sensibile proprium imprimat simul suas. Hanc amplectuntur Egidius, Landanus, Gandavensis, & eam æquè probabilem ac priorem sentit Canell. in annotat. q. 6. de anima n. 18. Tribuitur etiam scoto in 4. dist. 12. q. 3. n. 33. Sed nihil prorsus ibi resolvit, tantum proponit utramque sententiam, unde potius problematicus videri deberet.

CONCLUSIO I.

88. Probabilius est non imprimi species proprias à sensibilibus communibus, sed ea percipi per species sensibilium propriarum modificatas proportionaliter ad modum, quo sensibilia propria modificantur à sensibilibus communibus. Hæc est iuxta primam sententiam.

Probat per primo à Complutensibus ex D. Thoma: sensibilia propria distinguuntur in ratione sensibilis à sensibilibus communibus: sed sensibilia propria quæ talia habent immutare sensum per speciem propriam condistinctam à specie alterius sensibilis proprii: ergo sensibilia communia non habent immutare sensum per speciem propriam condistinctam à specie sensibilis proprii.

Minor probatur: quia quemadmodum intellectus non immutatur per propriam speciem, nisi à proprio obiecto per quod specificatur: ita sensus externus non erit immutabilis per propriam speciem, nisi tantum à sensibili proprio, à quo specificatur.

Probat per secundo eadem minor: sensus distinguuntur penes diversos modos immutandi per proprias species, quas recipiunt: ergo sicut sensibilia propria sola specificant, ita pariter sola illa imprimunt species proprias.

Probat per tertio, quia quod per propriam speciem omnino condistinctam attingitur à sensu, potest per se primo ab eodem attingi: ergo cum sensibilibus propriis competat per se primo attingi à sensu, illis solis competet producere species proprias omnino condistinctas.

Confirmatur: quia sensibile commune nequit producere speciem propriam, quæ sit aut eiusdem rationis in omnibus sensibus, aut diversæ: ergo non potest speciem propriam vlla ratione imprimere.

Probat per antecedens pro prima parte: quia sensus diversi requirunt species diversas.

Probat per etiam pro secunda parte, quandoquidem idem sensibile nequit species diversæ rationis producere.

Hæc probatio nulla ratione arridet, cuius ratio ex responsione patebit. Itaque respondeo distinguendo minorem: sensibilia propria, quæ propria habent immutare sensum, ita, ut non possint competere illis, nisi quatenus propria sunt, nec vllis aliis consequenter, nisi quæ propria sunt, nego minorem: nam quamvis sensibilia communia, etiam producerent proprias species, adhuc distinguuntur à propriis non quidem per productionem specierum propriarum, sed per hoc quod propria sensibilia ab vno sensu sunt perceptibilia, communia vero à pluribus: sensibilia propria, quæ propria immittunt species proprias distinctas, id est, quæ propria immittunt species representativas ipsorum secundum propriam rationem, concedo minorem, & nego consequentiam.

Ad primam probationem minoris, quæ procedit in sensu, in quo negatur, respondeo negando consequentiam: & ratio disparitatis est, quod obiectum intellectus, non percipitur ab ipso ut percipitur ab aliqua alia potentia, & consequenter quodcumque obiectum ab ipso perceptum, potest participare rationem obiecti specificatiui ipsius; sed aliquod obiectum perceptibile à sensu externo potest percipi secundum eandem rationem ab alio externo sensu, nempe sensibile commune, unde potest illud sensibile immutare sensum per speciem propriam, quamvis non participet rationem obiecti proprii, & specificatiui ipsius sensus.

90. *Ad secundam probationem respondeo* distinguendo consequens: proprias species, per quarum actus, & obiecta sensus distinguuntur, transeat consequentia, per quarum actus, & obiecta sensus non distinguuntur, nego consequentiam.

Ad tertiam probationem respondeo, per se primo attingi sensibile commune, tam bene quam proprium, siue producat speciem propriam, siue non; unde negatur in forma suppositum consequentis. Quod si etiam sensibile commune non attingatur per se primo, respondeo secundo negando antecedens.

Ad confirmationem nego antecedens, & ad probationem dico posse dici, quod illa species sit diversæ rationis nec est inconueniens, quod idem obiectum producat species diversas in diversis potentiis; sicut eadem albedo potest producere speciem visibilem in oculo, & intelligibilem in intellectu separato. Potest etiam dici, quod sit eiusdem rationis, neque enim est inconueniens, quod potentia diversa habeant species eiusdem rationis, quando possint percipere idem obiectum, nisi aliunde ostendatur id repugnare.

Probat per secundo eadem Auctores conclusionem: quia nulla potentia potest ferri in obiectum omnino distinctum à suo obiecto adequato: sed obiectum adequatum cuiusvis sensus externi est sensibile proprium: ergo non potest ferri in aliquod aliud sensibile, nec immutari ab illo per speciem propriam.

Respondetur negando minorem, quia etiam sensibile commune percipitur ab ipso, & consequenter continetur sub obiecto adequato. Verum quidem est quod sensibile proprium sit obiectum adequatum eius, quantum ad adequatè distinguendum ipsum ab alijs potentiis, cum quibus convenit in perceptione sensibilis communis: sed potentia potest bene ferri in aliquod obiectum quod non continetur sub obiecto adequato eius hoc modo accepto.

Ter. 1. 91. Me

Sensibilia
communia
non imprimunt
species proprias.

91. *Melius ergo probatur conclusio*: quia numerus, quod est sensibile commune quatenus percipitur à sensu, nihil aliud dicit, quam plura sensibilia propria non continuata quantum ad perceptionem sensus, unde non dicit formaliter, nisi negationem illius continuationis: sed evidens est istam negationem non producere posse speciem aliquam propriam: ergo sensibilia communia non producant speciem propriam, eadem enim est ratio de vno sensibili communi, ac de omnibus.

Confirmatur: quia figura, quæ est aliud sensibile commune, nihil aliud dicit supra sensibile proprium præter ordinem talem partium inter se, vel in ordine ad locum, qui ordo est relatio: sed relatio non potest causare speciem, quæ est qualitas absoluta, ergo sensibile commune non potest causare speciem propriam.

Probatur secundo, si sensibile commune produceret speciem propriam distinctam realiter à specie sensibilis proprii, posset Deus concurrere ad speciem sensibilis proprii non concurrente ad speciem sensibilis communis: sed in tali casu adhuc videretur color, v.g. cum tali magnitudine, & figura: ergo videretur sensibile commune per speciem sensibilis proprii, & consequenter superfluit species sensibilis communis.

Confirmatur: quia posset Deus de potentia saltem absoluta producere speciem sensibilis communis, non producta specie sensibilis proprii: sed tum deberet aliquid videri per ipsam ex vno capite, quia omnis species distincta ab alia, & habilis absque illa potest representare aliquid: ex alio vero capite, nihil posset representare, implicat enim visum posse videre figuram per se sumptam absque colore, aut luce: ergo implicat illa species propria.

Probatur tertio: quia non sunt multiplicanda entia sine necessitate, sed unica species sensibilis proprii producta ab ipso, ut habet talem figuram, aut magnitudinem, omnino sufficit, ut sic percipiatur: ergo non est asserenda alia species.

91. *Obicitur*: sensibile commune imprimit speciem aliquando, cum sensibile proprium non adest, nec immitit speciem propriam: ergo etiam quando adest proprium talem speciem imprimit, neque enim præsentia sensibilis proprii dimittit vires eius.

Probatur antecedens: quia si quis esset propè cælum, percipere posset magnitudinem, & figuram eius per manum: sed in cælo non est sensibile aliquod proprium: ergo sensibile commune percipitur non percepto proprio; & consequenter immitit species, non immittit species sensibilis proprii.

Respondetur negando antecedens: & ad eius probationem respondem *Complutenses*, in cælo reperiri qualitates tangibiles, quia tales qualitates non sunt solum qualitates primæ, & mediæ ex illis ortæ, sed aliæ etiam, ut soliditas, mollietas, terstities. Et quia potest responderi, quod Deus omnes illas qualitates possit à cælo separare, & tamen quod adhuc posset manus tangere cælum, & percipere eius magnitudinem, & figuram,

Respondetur secundo, quod non possit tangi tactu vitali, & consequenter quod non possit sensus percipere magnitudinem, aut figuram eius; licet fortè intellectus id posset facere per discursum. Quæ doctrina est bona, si tamen solæ qualitates percipi possint. At si nō solæ qualitates sint perceptibiles, tum dicendum est, quod licet in tali casu tactus perciperet quantitatem cæli, propter impenetrabilitatem, tamen illa quantitas non est sensibile commune, sed proprium tactui: quando vero dicitur quod magnitudo sit sensibile commune, hoc non debet intelligi de magnitudine quantitativa, ac impenetrabili, sed de magnitudine extensionis partium extra partes, hæc enim sola est, quæ à visu, & auditu potest percipi, & etiam à tactu simul cum illa alia magnitudine quantitativa impenetrabili, quæ est vnum ex sensibilibus propriis eius.

QVÆSTIO X.

An dentur species insensata.

Quid species insensata.

92. *Per species insensatas intelliguntur illæ, quæ representant obiectum potentia internæ secundum*

aliquam rationem, secundum quam non percipitur sensu vilo externo, siue illa species, quæ sic representat obiectum, etiam representet ipsum secundum rationes perceptibiles à sensu interno, siue non. Quod si cognoscatur à sensu interno obiectum sub tali ratione, non est dubium quin detur species insensata, quia sub nulla ratione potest percipere obiectum, nisi sub ratione, secundum quam nata est ipsi representari per aliquam speciem. Quare tota difficultas reducitur eodan sensus internus cognoscat obiectum sub aliqua ratione, sub qua non percipitur à sensu externo, v. g. an ovis non solum cognoscat lupum sub ratione alicuius habentis tales colores externos, & talem figuram, ac magnitudinem, qualia apparent sensui externo, sed etiam sub ratione inimici, aut disconuenientis, sub qua ratione certum est quod à sensu externo non percipitur.

Aduerte autem, non esse dubium hic, quin sensus internus multa percipiat, quæ non sunt obiecta sensuum externorum, nam percipit ipsosmet actus sensuum externorum, & delectationes, ac dolores ipsos consequenter, & hoc quidem per species distinctas à speciebus obiectorum illorum, quæ species possunt vocari species insensata, quia sunt species rerum quæ non obiciuntur sensibus externis; sed dubium præcise est, ut dixi, an percipiat obiecta sensuum externorum sub aliqua ratione, sub qua ab ipsis sensibus externis non percipiuntur.

Prima sententia est dari huiusmodi species insensatas, quibus cognoscatur obiectum secundum rationes aliquas non perceptas à sensibus externis. Ita *D. Thom.* 1. p. q. 78. cum suis communiter, quos sequuntur *Ruminus, Complutenses, Aversa, Arriaga & alij* hic.

Secunda sententia est non dari tales species. Hanc tenet *Scotus* in 1. dist. q. 2. & in 3. dist. 15. num. 7. cum suis communiter, quos sequitur *Hurtadus* hic dist. 13.

CONCLUSIO I.

94. *Non dantur huiusmodi species.* Est secunda sententia contra primam.

Probatur primo: quia ipsemet intellectus non potest absque discursu considerare obiectum sub vlla ratione, sub qua non percipitur à sensibus sibi subordinatis: ergo neque potentia materialis interna, sed hæc non potest discurrete secundum aduersarios; & quamvis possit, certe non discurret toties quoties elicit actus illos, ob quos ponuntur in illo species insensata: ergo.

Probatur secundo: ut darentur tales species, ut cognosceretur obiectum à potentia interna sub tali ratione nō sensata, deberet dari aliquid quod ipsam ad hoc determinaret, ut est evidens: sed non potest, ergo.

Probatur minor: quia nihil potest ad hoc determinare potentiam præter obiectum quod percipitur à sensu externo, aut specie sensatam eius expressam & impressam, aut ipsam potentiam internam, aut omnia simul: sed neutrum ex his, nec omnia simul possunt determinare potentiam internam ad illam speciem aut perceptionem insensatam: non quidem potentia se sola, quia illa est indeterminata, nec species sensata se sola, siue expressa siue impressa; aut obiectum solum, quia species sensata expressa & impressa lupi habetur ab alio lupo, quin determinetur potentia interna eius ad percipiendum ipsum per modum inimici aut disconuenientis, quæ est ratio insensata, sub qua dicunt aduersarii ipsum apprehendi ab ovis; & similiter ipsum obiectum, nempe lupo aut accidentia externa ipsius proponuntur æque alteri lupo ac ovi, nec tamen determinant potentiam alterius lupi ad cognitionem illam insensatam. Nec etiam omnia illa simul, quia alias quoties omnia simul applicarentur, deberet causari in potentia interna species insensata vel expressa, vel impressa: quod est falsum, quia si ovis educaretur cum lupo, non perciperet lupum sub ratione disconuenientis aut inimici.

95. *Probatur tertio*: quia potentia interna æstimationis verbi gratia non potest percipere lupum per modum inimici, nisi per modum inimici actualis, hoc est actualiter offendens, vel per modum inimici aptitudinalis, hoc est

Non dantur species insensatas.